



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

46, - 203.

LN 1108
ex. 1
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

ORATIO FVNEBRIS ILLVSTRIS VIRI, HERLVFFI TROLLE Herluffsholmenſis Curiæ Domini, auratæ militiæ Equitis ſplendidiſsimi, & Regni Danici Senatoris ac Ammiraldi prudentiſsimi & fortiſsimi, patriæ & eccleſiæ patris & propugnatoris fideliſsimi, vitam & obitum breuiter complectens, ſcripta & recitata in Academia Haffnienſi.

A
Chriſtiano Machabæo
Alpinate.

Anno ſalutis noſtræ 1566.
10. Febru:

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

PRÆCLARO VIRO BIRgero Trolle, Domino lillò, Equiti aurato & Senatori Regni Danici prudentiſsimo, ſuo Domino.

NOn temere aut caſu, ſed diuinitus heroicos viros excitari, per quos Deus vult imperia & politias vel labefactatas in integrum reſtitui, vel erectas adminiſtrari, extra dubium eſt. Nam cum magnorum hominum qui Rerumpubl: gubernaculis ſunt admotj, heroicas virtutes, egregia facta, & euentus honeſtis conſilijs exacte congruentes intuemur: veſtigia quædam non obſcura diuinitatis in ipſorum naturis &

 admi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

admiranda gubernatione conſpici-
mus. Vt vere dicitur εἰκὼν ἡ βασι-
λεὺς ἐστὶν ἔμψυχος θεοῦ. Quare vt
eccleſiæ & humani generis peſtes ex-
ecramur: Sic ſalutares gubernatores
magnifaciamus, & grati Deum
celebremus qui per ipſos cœleſtis
Doctrinæ ſtudia propagarj & ho-
minum conſociationem regi. & con-
ſeruari voluerit. Cum autem vni-
uerſus vitæ curſus ſanctiſsimi fra-
tris tui, D. HERLVFFI
TROLLE, Eccleſiæ & toti pa-
triæ ſalutaris fuerit: exiſtimaui me
recte facturũ, ſi præcipuas eius vir-
tutes ac præclara facinora, breui ora
tionem perſtringerem. Quam qui-
dem ieiunam nimis & exilem ſub
tui nominis auſpicio, illuſtris BIR-
GERE, in lucẽ prodire volui: &
quia,

quia, fraternæ gloriæ proximus es hæres: & quia innumera in me familiæ TROLLORVM beneficia, hoc perexiguum gratæ mentis pignus apud te vt deponerem hortari videbantur. Tu pro ſingulari tua in me beneuolentia, hanc qualemcunq;, gratitudinis ſignificationem boni conſule-

Vale: Haffnià.

Chriſtianus
Machabeus. Alpinas.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

ORATIO FVNEBRIS. Illuſtris Viri HERLVFFI TROLLE Herluffsholmen-ſis curiæ Domini etc. Vitam & obitum breui-ter complec-tens.

EA demum perfecta eſt, & cumulata hominis fœlicitas, caſtè integrèq; vitam hanc traduxiſſe, vt cum extremam metam abſolutis curſibus attigerit, & apud poſteros nominis ac famæ celebritatem, & apud Deum æternitatis gaudia conſequatur.

Si enim communes miſeriæ, inchoatam illam in hac mortalitate beatitudinem ad maturitatem perue-

re

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

nire non patiantur: Tunc primum compleri, & plenè perfici exiſtimandum eſt, cum à corporearum calamitatum contagione, & mortalitatis ærumnis, immortalis hominis pars, pie & placide ſecluſa & diuulſa fuerit.

Eſt autem diuinitus ordinatum, vt incorruptam Dei cognitionem, Vitæ innocentia: Hanc tranquillus exitus, mortem vero, nominis & animæ æternitas comitetur.

Diuinam enim Maieſt: ſacra ſcriptura teſtatur, immenſam & imperſcrutabilem piorum fœlicitatem ijs qui impie interierunt non conferre, neq; lenem & quietam Membrorum & mentis diſſociationem ſceleratis concedere, neq; innocentiam illis imputare, qui deuio ingenij hu-

mani ductu, aut in nullam eius omnino, aut falſam cognitionem peruenerunt.

Oportet igitur, vitæ noſtræ curriculum profeſſioni reſpondere, ſi vel innocentiæ, atq; integritatis apud homines laudem, vel lætam & ſalutarem commigrationem, qualem omnes exoptamus, conſequi, aut immortali fœlicitate ad quam aſpiramus, perfrui voluerimus.

Tantum in te diuine HERLVFFE, *cœleſtis Doctrinæ ſtudium fuit: tum etiam vniuerſus vitæ tuæ curſus diuino incitatus ſpiritu, & eccleſiæ, & toti patriæ ſalutaris, tibi verò non tam laborioſus quam honorificus extitit: Mors adeò placida & tranquilla, vt cum reliquis ſanctis, pietatis atq; virtutis*

præ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

præmia, & cumulatam ex omni parte fœlicitatem, tibi contigiſſe vt confirmare audeo, ita extra dubium eſt.

Quam quidem immortalem beatitudinem HERLVFFE, tibi omnes ex animo gratulamur, Et æterno Deo patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, toto pectore gratias agimus, quod tam illuſtre ornamentum & adiumentum harum regionum eccleſijs & politijs excitarit, & clementer tamdiu conceſſerit.

Sed cum & noſtram orbitatem qui te viuente tui eramus perpendimus, cum Rempub: quæ te ſtante, cadere non potuit, moriente autem grauiter concuſſa eſt conſideramus, Cum ſcholarum & eccleſiarum ſtatum, qui te amiſſo ruinam minitatur

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

perpendimus, animi noſtri doloris acerbitate perculſi, contabeſcunt, tuiq; deſiderium vna cum tempore indies magis ac magis augetur.

Ac vt nihil de publico patriæ luctu, nihil de aliorum orbitatis calamitate dicam, tuus Herluffé exceßus nō minori me luctu perſtrinxit, quam ſanctiß: memoriæ parentis mei obitus.

Ipſo enim ex hac vita euocato, paterno me es complexus affectu & ſingulari amore, vt vix patrem amiſiße ſentire potuerim: Nunc verò te vnà ſublato, recrudeſcit conſopitum pectoris vulnus, & ad nouam calamitatem, ſuperioris miſeriæ recordatio accedit, vt vtrumq; parentem, geminato luctu & lachrymis, proſequi cogar.

Etſi

Etſi ethnicum eſſe videtur, tam grauiter eorum morte affici, qui nobis aut naturali aliquo, aut beneuolentiæ vinculo fuerunt coniunctj: Tamē cum certus dolori modus præſcribitur ne diuinæ voluntati cui vita & Mors ſubiecta eſt, temere reluctemur, neq; eorum magis, qui in Domino obdormiuerunt, quam noſtræ orbitatis cauſa doleamus, vt lugere humanum eſt, ita nec Deo diſplicet, nec religioni aduerſatur, nec Chriſtianæ cōſuetudini repugnat.

Adhibeamus itaq; mœroris & contriſtationis lenimenta, quibus deiectum animum recolligamus, erectū confirmemus, & aduerſus nouas calamitates, quas ſubinde, tempus, fata, communis noſtra conditio obyciunt, obduremus.

Sitq;

Sitq; hæc præcipua piarum mentium, ingruentibus ærumnarum procellis conſolatio, mortalitatis noſtræ curſum breuem eſſe, Mortem malorum finem non differri, aliam abſoluta hac, reſtare vitam, in qua laborioſiſſimis occupationibus reiectis, omnibus miſeriis & periculis ſuperatis, in maximis erimus & æternis voluptatibus.

Interea in hoc noſtro luctu, pulcherrimas, pietatis ac omnium virtutū, Temperantiæ, Modeſtiæ, Humanitatis, Iuſtitiæ, Fortitudinis, imagines, quæ in illuſtri Heroe Domino HERLVFFO, fulſerunt, ante oculos proponamus, quò feruentiſſimum ipſius deſiderium, ſi non prorſus tollere, certè aliqua ex parte diminuere poſſimus.

Nam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Nam vt apud poætam Dido, amorum incenſa furijs, diſceſſum Aeneæ ſe æquius laturam dicebat, ſi aliquem haberet Iulũ, Æneam facie qui repreſentaret: Sic nos intuentes præclaras virtutes D. HERLVFFI, quæ, qualis, fuerit clarius & euidentius, quam omnium artificum manus oſtendunt, hac qualicunquè præſentia ipſius nos oblectemus & exatiemus, donec priſtinæ conſuetudinis ſpes reuiuiſcet, quæ ſempiternam & animi ipſius & corporis coniunctionem exhibebit.

Hanc virtutum picturam etſi reuerendus vir D. Doctor Nicolaus Hemmingiꝰ, Præceptor meus, perpetua fide & obſeruantia colendiſsimus viuis coloribus illuſtratam, omnibus nobis conſpiciendam

pro-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

propoſuit: Tamen cum illuſtris huius virj, ſanctiſsimam vitam, & inſignes virtutes exploratè cognitas haberem, & vt externæ gentes, apud quas, D. HERLVFFI fama eſt diſseminata quid de viuo, quem coluimus, quid de mortuo, quem admiramur, ſentiamus, cognoſcerent, & vt meum erga chariſs: Dominū dulciſsimū patrem, & fideliſsimum Mœcenatem, hoc perexiguo gratæ memoriæ teſtimonio, animum declararem: Volui ſanctiſsimum vitæ inſtitutum, & præcipuas eius virtutes, (Nam omnes nullius oratio complecti poterit) commemorare, & in arrogantiæ potius dicendo crimen, quam ingratitudinis tacendo in cidere.

Ampliſsimum enim & vberri-

Am-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

mum ingenij & Studiorum fructum me percepiſſe iudicabo, ſi ipſum meritis præmijs, ab ijs reſpergj intellexero, à cuius fonte profluxerunt & deriuata ſunt.

Et quoniam aliorum virtutes in nobis non transfunduntur, eas autem in conſpectu poſitas, imitari quodammodo poſſumus, Illuſtre & conſpicuum pietatis ipſius atq; virtutis exemplar toti poſteritati profuturum existimaui, quod intuentes ad honeſtatis & Christianæ nobilitatis Studia extimularetur & inflammaretur.

Atq; vt præcipua quæ in hoc illuſtriſſimo Heroe D. HERLVFFO Perpendenda occurrunt, manifestius appareant, ab Initio vſq; ad Vitæ terminum, ſingu-

ſigularum ætatum tempora percurram, & quæ in primis annis incrementa, quas acceſſiones accreſcente ætate habuerit, quam ſtabilis & certa fuerit ipſi virtus ſemel acquiſita poſſeſſio, qutãum vel pcrexigua quæ in me eſt dicendi facultas, vel lachrimæ quæ de ipſo cogitanti, ne dicam loquenti ſæpe oboriuntur permiſerint, dicam.

Qui celebrem & peruagatam apud homines famam conſequuntur, aut ex propria virtute, aut maiorum celebritate, vel ex his ſimul coniunctis eam acquirunt. Maiorum ſplendor turpiter obſcuratur, ſi eo contenta degener poſteritas, nihil præclarum & ſua origine dignum ipſa præſtiterit. Propria virtute & maiores, vniuerſamq; gentem ſuam

clari-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

clariorem reddidiſſe, honorificum eſt. At paternum decus ſuis factis auxiſſe, auctumq; latè ſparſiſſe, & per conſequentium ætatum tempora diſſeminaſſe, veram eſſe, immortalemq; gloriam parere, omnes prudentes ſtatuunt.

Quæ enim rerum geſtarum aut virtutis gloria, liberis tanq̃ hæreditas a patribus traditur, ea profundiores radices agit & propagata creſcit, ac firmior & durabilior redditur.

Hanc illuſtrium progenitorum laudem, DOMINI IACOBI TROLLE de lilló Equitis, & Dominæ Chriſtinæ ex peruetuſta Schauorum familia oriundæ, etſi Dominus HERLVFFVS hæreditario iure ſibi vendicauit: Eam

 tamen,

tamen, pietatis, Doctrinæ, ingenij, & Virtutum celebritate, cumulatam poſt ſe reliquit, vt non modò maioribus ſuis, quorum locum & dignitatem eſt conſecutus, inferior fuerit, ſed ita ſuperarit, Vt non multos excellentiores ſuperiora habuiſſe viros, certo confirmare poßim, inſequentia vero ſecula, Præſtãtiores productura vix exiſtimen.

Ex his parentibus Dominus HERLVFFVS, Anno humanæ ſalutis M.D.XVI. xiiij. Ianuarij circa quartam horam manè in paterna curia Lillò, quæ in Scaniæ prouincia ſita eſt, in lucem editur.

Relinquo autem anxijs rerum naturaliũ indagatoribus, ſyderum & Stellarum, affectiones, poſitum configurationes eius temporis inqui-

ren-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

rendas, non quod præſtantiſsimam illam Naturalis Aſtrologiæ & perneceſsariam ſcientiam, negligendam putem: Sed vt viciniores virtutum cauſas, quæ ſunt Spiritus ſanctus & pia ac Chriſtiana teneræ ætatis inſtitutio, circa quas, noſtra potiſsimum verſabitur oratio, exponerem, reliquas omnes vel inclinationum, vel temperamentorum cauſas, amputare voluj.

Initio ſtatim pij parentes, magnum in HERLVFFO Ingenium & doctrinæ capax eſse animaduertentes, ipſum literis diſcendis adhibuerunt, In quibus cum tantum promouiſset, vt in iſta omnium diſciplinarum, præcipuè autem earum quæ orationem formant profligatione, in mediocrem latinæ

linguæ cognitionem deuenerit, in hancprimum Regiam HAFNIENSEM Academiam a parentibus miſſus eſt.

Deinde vt ad ætatis, Doctrinæ etiam incrementa accederent, ad illuſtre & celebratiſſimum, omnium artium & politioris literaturæ emporium, Scholam VVitebergenſem ablegatus eſt, in qua ſolidiorem diſciplinarum & Hiſtoriarum cognitionem adeptus eſt, & incorruptam Euangelij Doctrinam, quæ adhuc Dej beneficio in noſtris Eccleſijs propagatur, a ſanctiſſ: Viris Reuerendo D. Doctore MARTINO LVTHERO, & PHILIPPO MELANTHONE, per quos Deus ſuum Verbum ſophiſmatum & ſuperſtitionum cœno conſpur-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

catum repurgarj, & in his vltimis mundi temporibus, longè lateq; ſpargj, & diſſeminari voluit, diligenter didicit, eamq; Studio ac quotidiana meditatione auctam, vsq; ad Vitæ exitum conſtanter retinuit.

Hoc prudens & ſalutare conſilium pyſſimorum parentum Domini HERLVFFI, vt omnes nobiles imitarentur, optandum eſſet.

Liberales enim ſcientiæ non ita a potentioribus contemnerentur, nec philoſophia dignis deſtituta præmyjs mendicaret, nec cyclopica illa feritas generoſorum hominum mentes, qui Rerumpubl: gubernacula moderantur occuparet, ſed iuxta PLATONIS conſilium, potentia Doctrinæ acceſſione temperata, & Reges philoſopharentur, & philoſophi regnarent.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Reuocatus deinde in patriam fœliciter Studiorum curſu finito, in aulam CHRISTIANI. II. *Danorum Regis ſe contulit, vt ad liberam diſciplinarum, militarem ſcientiam adiungeret: In quibus ita verſatus eſt, vt in vtriſq; pariter eminuerit.*

Quantum enim ingenio valuerit, matura ipſius & moderatiſsima conſilia, ſummaq; in dicendo facultas, rara quadam prudentia illuſtrata, oſtendunt.

Militaris autem virtutis atq; induſtriæ egregium illi teſtimonium omnes tribuunt, qui vel in caſtris, vel in acie, aut munitionum oppugnatione aut hoſtium profligatione, vel in naualibus pugnis ipſum præliantem conſpexerunt.

Mag-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Magna fuit cum apud antiquos Ethnicos, tum Iudæos militaris ſcientiæ, & literarum coniunctio, cum quod nihil præclarè absq; graui conſilio geri poßet, tum quod prudentia viribus deſtituta, parum aut nihil ommino efficeret. Eſt enim verißimum. Διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα.

Celebris itaq; & venerandus Sacerdotum chorus, militum turmis & ordinibus, in ſacroſancto diuini Populi exercitu, ſemper interſperſus erat.

Sic in græca hiſtoria, Achillj Agamemnoni, Aiaci, quorum fortitudo & robur ingens erat, Neſtorem & Vlißem adiunctos fuiße legimus, qui tantũ conſilijs & dicẽdo, quantum alij viribus & armis præſtiterint.

*Qui magno illo poſt Alexan-
drum Regi, maior extitit LV-
CVLLVS, popularem laudem,
& græcis Literis celebratam & la-
tinis, non aliunde, quam ex Milita-
ris ſcientiæ & Studiorum copulatio-
ne, qua effecit, Vt Roma & Aſia,
legibus & armis ipſius corroborata
diu in flore conſiſterent, conſecu-
tus eſt.*

*His ætate quidem inferior fuit
Danicus noſter LVCVLLVS,
Ingenij autem & virtutis vi atq;
fortitudine, non æqualis modo, ſed
in hoc longè ſuperior, quod a ſpiritu
ſancto, actiones omnes, vniuerſaq;
ipſius conſilia gubernarentur.*

*Hic primus Vitæ curſus fuit,
ex quo quid in reliquo ſpacio fece-
rit conijcere licet. Nam huiusmo-*

di

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

di auſpicia ſingulare quiddam & penè diuinum portendere ſolent.

Cum iam Virilem ætatem attigiſſet D. HERLVFFVS, vt in certo Vitæ ſtatu tutius verſaretur, ex conſilio ſuorum amicorum, præcipuè autem D. BIRGERI fratris, in vxorem duxit, nobilem & pudiciſſimam Virginem, Dominam BIRGITTAM GØE, Filiam illuſtriſſimi viri, Domini MAGNI GØE de Krenckerop & Dominæ METTÆ BIDELSBACH.

Domina BIRGITTA, etſi ex præſtantiſſimis parentibus progenita fuit, patre quidem Equite aurato, Regni Danici ſenatore, & ſummo Regiæ curiæ Magiſtro, & quod maximum erat, Chriſtia-

næ religionis, quæ tum ex pontificijs erepta tenebris ſplendeſcere cepit conſtantiſsimo propugnatore, vt inde maximus laudum cumulus illi acceſserit: Pia tamen vxor pium imitata maritum, parentum honorem ad ſe tranſmiſsum, ſua virtute & pietate cumulatiſsimum reddidit.

Nam vt Dominus HERLVFFVS fundamentum ſuarum actionum pietatem conſtituit: Sic & ipſa ſuper idem fundamentum ſanctam ſtructuram, & viuente Domino HERLVFFO extruxit, & poſt mortem eius ab inchoato opere non deſiſtit.

Et quoniam pietatem principium ſuarum actionum eſse voluerũt, & inter eos perpetua quædam & diui-

diuina animorum ac voluntatum coniunctio fuit, & quotidiana cum omnibus hominibus conſuetudo, familiaris, ſancta, & honeſta erat: Ita vt exemplar ſingularum virtutum in ipſorum vita exprimeretur.

Domeſtica cum ſuis conuerſatio amica inprimis & iucunda fuit, Vt non tàm ipſos, tanq̃ Dominos metueremus, quàm vt parentes, Vehementi & naturali penè affectu proſequeremur.

Ne vero ab ipſorum inſtitutis familia recederet, frequentes ordinarunt conciones, ad quas cum conuenirent, vnanimi pectorum & animorum conſenſu, Deo ſe commendarunt, ipſius verbum diligenter, & magna cum auiditate audiuerunt, atq; in fidej

ſuæ

tuæ confirmationem, mutuiq́ amo-
ris, & ſpiritualis conſociationis pig-
nus, ſæpe ſacratiſsimo cœnæ Domi-
nicæ Sacramento, uſi ſunt.

Ac vt quotidiana etiam inſpec-
tione & meditatione, ſacræ Literæ
ipſis familiariores redderentur, non
ſolum priuatim ſancto Studio Bi-
blia euoluerunt: Sed & antè & fi-
nitis prandijs ac cœnis, aliquid præ-
legi curarunt, ac de rebus grauiori-
bus, quæ in lectione ſacræ ſcripturæ
occurrebāt, cum miniſtro verbi, vi-
ro docto & pio, quem ſemper in co-
mitatu ſecum habebant, contule-
runt.

Meminj cum Machabæorum
hiſtoria, proponeretur, Dominum
HERLVFFVM, multa de
diuina prouidentia, ſed non vt pom-
peius

peius in graues deuolutus anguſti-
as, cum CRATIPPO: diſſe-
ruiſſe.

Etſi inquit Iuſtæ fuerunt cau-
ſæ, quibus MACHABÆI, vt
arma aduerſꝰ ANTIOCHVM
ſumerent, ſunt permoti, Aræ &
focj: Tamen ſuccumbere illos hoſti-
bus Deus voluit, ne humanis viri-
bus, politiam Iudaicam, quæ mutu-
is partim diſſenſionibus, partim,
externis bellis labefactata, appro-
pinquante nunc Chriſto, certam rui-
nam minitabatur, reſtaurari & in
integrum reſtitui poſſe cogitarent.
Atq; ex hoc apparet res humanas
diuina prouidentia, omnes admini-
ſtrarj, quod prædictionibus interi-
tum Iudaico populo denũciantibus,
euentus reſponderit. Et nos, inquit

quanq̃

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

quanq̃ vocationis noſtræ officia, a clementiſſimo Rege noſtro impoſita exequimur, mortem ſemper in conſpectu habere oportet, & aut honeſtè cum MACHABÆIS occumbere, aut diuina adiuuante Omnipotentia, fortiter ſuperare.

Præclara certè & Chriſtiana tanti militis oratio. Non enim Stationem ſuam, in qua & diuina & humana authoritate conſtitutus erat, periculorum metu deſerendam putauit. Officium faciundum eſſe, & euentus Deo relinquendos ſtatuit.

Sed, vt ad propoſitum regrediar, cum pariter & Doctrina familiam informari, ac inſtitui curaſſet, & exemplo ſuo, ad honeſtatis &

pie-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

pietatis Studia domeſticos inuitaſſent, id effecerunt, vt famulos haberent in omnibus obſequentes, & qui propter conſcientiam magis, quam pœnarum metu, ſuis perfungerentur muneribus. Qui vero grauius deliquiſſent, ne diſciplinæ laxatio, peccandi licentiam augeret, hos criminis ratione habita puniuerunt.

Eos autem quos nec verbis corrigj, nec ſuppliciorum acerbitate emendarj animaduertiſſent, a ſua ſecluſerunt conſuetudine, prudens illud conſilium ſequutj.

πονηρῦ φεῦγε συνοδίαν ἀεί.

Orphanos, & miſerorum hominum pueros, quos ad ſe receperunt, vt parentum, & in hac parte ſuſtinerent officia, honeſtè &

libe-

liberaliter educarj curarunt, & cum adoleuiſſent, quó ipſi poſſent ſuis laboribus & induſtria vitæ ſuæ proſpicere, ad opificium aliquod manuarium perdiſcendum eos ablegarunt.

Cum ſuperiori anno, in Scania hoſtes graſſarentur, ac aliquam prouinciæ partem depopulati eſſent, DOMINVS HERLVFFVS miſeros infantes & pueros, quorum parentes interemptj, oppida incenſa, facultates ereptæ fuerunt, ad ſe recepit & benignè fouit: quos cum ſubinde aſpiceret, humanæ inſtabilitatis & communium miſeriarum memor, hunc verſum (mirifice enim ſententioſis dictis delectabatur) proferre eſt ſolitus.

Aut

Aut ſumus, aut fuimus, aut poſſumus eſſe quod hic eſt.

Prudentes viri, rerum humanarum fragilitatem, & fortunæ mutabilitatem, aſpicientes, cum in altum dignitatis locum euecti ſunt, inferiores non deſpiciunt, aut a ſe abalienant.

Vident enim citius & facilius, circumducta Fortunæ rota, ſe in priſtinum locum relapſuros, ex quo antea, ægrè ac difficulter, & per non æſtimandos ſudores, ad ſummos honorum & potentiæ gradus, eluctatj ſunt.

Præclarè igitur vt cætera Plinius. Is demum humanam vitam æqua lance penſitabit, qui ſemper fragilitatis humanæ memor fuerit. Et venuſtè Nazianzenus vitæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

*noſtræ ſtatum depingit his Ver-
ſibus.*

Θυμε βλεψον ἄνω χθονίωμ δ'ἐπι
λήθεο ϖάντωμ
Μὴ δὲ σε νικήσῃ πρὸς κακότητα δέ-
μας,
τυτθὸς μὲν βίος οὗτος ὁ δ' ὄλβιος
ὥς ἐν ὀνειρω.
τερϖεται ἄλλοιη δ' ἄλλος ἐκυρσε
τύχη.
μνήμης δὲ ζωῆς καθαρισβίος ἐμ-
ϖεδος ἀει
καί ϖολὺς ὄν ζώειν, ἐστιν ἀρειοτερὸν.

Amicorum aßiduitate & frequentia, quos vel virtutis opinio, vel affinitatis propinquitas, vel benemerita illis coniunxerunt, nihil iucundius aut optabilius extitit.

Hos enim ſæpius ad ſe inuitare, aduenientes humaniter excipere, lautißimè tractare, & honorificè dimittere conſueuerunt. Nunq̃ amicj diem perdiderunt: ſed ad ſuperio-

periora beneficia, noua ſubinde adijcientes, conſtantiam, & pulcherrimum Amicitiæ ornamentum, Verecundiam, firmiter retinuerunt: Candorem inuiolatum ſeruarunt, vt non aliud lingua proderet, quam quod cor ſentiret. De his Verè a nobis dici potuit.

φίλους ἔχων, νόμιζε θησαυροὺς ἔχειν

De Scipione fertur, Non prius ex foro, domum reuertj ſolitum fuiſſe, quam officijs & beneuolentia familiarem aliquem & amicum ſibi deuinxiſſet. Sic Dominus HERLVFFVS & domina BIRGITTA, non ſolum beneficijs quam plurimos ſibi coniunxerunt: Sed amicitiæ foedus ſemel contractum, varijs officiorum generibꝰ, & firmarũt, vt nunq̃ diſſolueretur, &

condecorauerunt, vt iucundum in primis nobis omnibus fuerit, nullumq́ eius coniunctionis tædium, animos noſtros ſubire potuerit.

Adminiſtrandæ priuatæ rei curam, Etſi domina BIRGITTA maximè ſuſtinuit: Cùm tamen a publicis Regni negocijs, aliquod reſpirandj tempus Domino HERLVFFO concedebatur, non indulſit otio: Sed aut Architectonicam exercuit, in nouis ædium ſtructuris, erigendis, & veterum ruinis reſarciendis, aut aulicos ſuos in militarj ſcientia inſtituit, eoſq́ conſuefecit, ordines facere, ſigna ſequi, Imperium obſeruare: Interdum controuerſias inter ſubditos ortas diremit, nonnunq̃ redituum ſuorum rationes examinauit, ita vt ſemp occupatus,

oty

otij & voluptatum laqueis nunq̃ caperetur.

Sed nunc e priuato virtutum theatro exeuntes, in forum prodeamus: Ac vt ſeparatim de Domino HERLVFFO dicam, tanta eſt varietas & copia rerum ab ipſo & in Eccleſiaſtica, & ciuili politia geſtarum, vt multitudine ſimul ac magnitudine earum penè ſuperer.

Nulla eſt enim Reſpubl: nullus Vitæ ſtatus, nullæ in hoc toto ferè Regno, Scholæ & Eccleſiæ, apud quas inſignia non reliquerit monumenta, quæ de ipſius virtute, pietate, prudentia, apud vniuerſam poſteritatem ſunt teſtatura.

Quæ quidem noſtram orationem deſiderare non videntur, cum in conſpectu, oculisq; omnium ſunt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

conſtituta volo tamen breuiter ea attingere, & pauca ex multis excerpere, quarum commemoratio, pijs mentibus grata eſt futura.

Vt priuatæ Domini HERLVFFI, ſic & publicæ ipſius, ac forenſes actiones a ſpiritu Dej regebãtur.

Cum enim animi ſecuritas, qua nihil in hac vita eſt præſtabilius, Spiritus ſancti, mouentis & incitantis ſit indicium: Dominũ HERLVFFVM cuius Mens, nullo ſcelere imbuta, nullo pœnarum metu perterrita, nullo conſcientiæ morſu exanimata fuit, diuinitus & excitatum & gubernatũ quis dubitabit?

In prouincijs adminiſtrandis, quæ vel a Sereniſsimo & pijſsimo, ſanctiſsimæ memoriæ CHRISTIANO III. huius ætatis IOSIÆ,

vel

vel a clementiſsimo Rege noſtro Domino FRIDERICO II. Illi demandatæ fuerunt: duplicem curam adhibuit, vt & Regj fidelis eſset, eaq; diligentiſsimè exequeretur, quæ ratione officij ſuj ab ipſo iure requirebatur, & vt ſubditos cōſilio, authoritate, patrocinijs tutaretur, ne Regia bona, ſuæ fidej cōmiſſa, vllum detrimentum paterentur.

Animaduertit enim, ſe cum diuino conſtringj mandato, tum conſcientia hortante, quam inuiolatam, & nullis implicatam facinoribus ſemper ſeruare ſtuduit, excitari, vt debitam principj ſuo obedientiam præſtaret

Grauiſsimam Diui PETRI ſententiam ſæpius repetere conſueuit. TIMETE DEVM,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

HONORATE REGEM, ex qua has duas res inter ſe diſiungi non poſſe, Dei timorem, & obedientiam erga legitimos Magiſtratus, certiſſimamq; eſſe impietatis & leuitatis notam, maiorum authoritati pertinaciter reluctari & refragari, facile collegit.

Quare communibus, quibus Ius Danicum continetur legibus, & priuatis Regum edictis, ſe libenter ſubiecit, atq; ἀταξίαν, confuſionem ἀκαστασίαν, diſciplinæ laxationem, peccandi licentiam, morum corruptelas, publicæ tranquillitatis impedimenta, omnibus viribus eradicare, & prorſus delere contendebat.

Præclarè Euripides, κόσμον φυλάσσει ὅντινα ἂν δόξῃ πόλει. Hunc pul-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

pulcherrimum humanæ conſociationis ordinem conſeruare conabatur, & quia ipſe ab eo bene inſtitutus erat, & quod diuinitus, atq; a Natura conſtitutum, non opinione quadam in politijs introductum eſſe arbitrabatur.

Apud Xenophontem, Cyri pædagogus inquit. το νόμιμον δίκαιον ἐῖναι. *Non ex commoditate, aut affectibus, ſed iuxta legis præſcriptum, de negocijs controuerſis, determinandum eſſe.*

Ab hac Regula in iudicijs exercendis, nunq̃ deflectebat Dominus HERLVFFVS. Cum ſententiam ferret, legis normam, non rej aut accuſantis perſonam reſpexit: non paſſus eſt generoſum illud pectus, iuſtitiæ amantiſſimum largitio-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

gitionibus inquinarj: nihil illum amicorum neceſsitudines, nihil aduerſariorum odia: nihil preces: nihil minæ commouebant, vt a legibus, æquitatis moderatricibus quicq̃ recederet.

Laudatur in hiſtorijs CAMBISES, quod iniuſto Iudicj pellem detraxerit, Atq; ex hoc vnico rectè facto, tantam nominis celebritatem eſt adeptus, vt anteactæ vitæ turpitudinem omnem ea obliterarit. Quæ te HERLVFFE gloria manet? cuius actiones, conſilia, & totum Vitæ ſpacium, a miranda illa Iuſtitiæ mediocritate nunq̃ receſsit.

Sæpè Ira rationis Iudicium perturbat: Hanc adeo repreſsit Dominus HERLVFFVS. vt

nihil

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

nihil vnq̃ vel in priuata Vita, vel publica, ea inflammatus, temerè commiſerit. Nam cum erga aliquem ſuorum Iuſtè iram concepiſſet, præclariſſimam hanc & ſapientiſſimam vocem edidit. Si non concitatus eſſem, a me pœnam lueres.

Quam quidem vocem, talj ac tanto Heroe dignam, nobilem & laudatiſſimæ memoriæ virũ, CORVVINVM VVLFFELD plurimi feciſſe audio.

Quid enim fortius, quam irruentes animi perturbationes, a Rationis arce depellere? pernicioſos affectuum ignes reſtinguere? rebellantes & concitatos motus compeſcere? Rectè igitur poæta.

Fortior eſt qui ſe, quam qui fortiſſima vincit,
Mœnia, nec virtus altius ire poteſt.

Quæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Quæ victoria glorioſior eſſe poterit, ea, cuius laus omnis, atq; celebritas in authorem ſolum redundat, non in plures diffunditur?

Propter hanc æquitatis, in ſumma poteſtate moderationem, omnium ſubditorum animos, deuinctiſſimos ſibi reddidit, qui illum & Viuum obedientia, & mortuum debitis honoribus proſequuntur.

Nec minorem laudem apud vicinos, ſiue Nobiles, ſiue inferioris ſortis homines ſint, poſt ſe reliquit. Nam cum perpenderet Rempubl: non ex Medico & Medico, ſed Medico & Agricola conſtare, ſingulis ordinibus ſuum honorem attribuit, nec propter Fortunæ aut perſonæ tenuitatem, quemq; a ſua conſuetudine ſecluſit, modo honeſtatem ſectaretur. Ciui-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Ciuium Libertatem quanto ſtudio tutatus eſt? Vidit enim vir prudentiſsimus, pedum & tibiarum fulchris confractis, reliquum corpus conſiſtere non poſse, & in hac ciuili conſociatione mutuas operas requirj, Vt in prouerbio habetur. χεῖρ χεῖρα νίπτει.

Quare & hæc Reipubl: noſtræ pars diuine HERLVFFE, tantum ſe ordinis ſui præſidium, tuo interitu amiſiſse, vehementiſsimè dolet, ſanctiſsimosq; manes tuos, ſi poſset, lachrymis & gemitu, abſq; dubio reuocaret.

Nunc vero venio ad ſanctiſsimam Domini HERLVFFI, diuinæ gloriæ, Scholarum, & Eccleſiæ Chriſtj promouendæ curam, quæ quanta fuerit, rectius cognoſcent,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

ſcent, qui multis poſt ſeculis noſtras ſedes occupabunt.

Quamuis autem, omnes illi, qui vel in hac celebri Regia Vniuerſitate docent, vel in alijs Regni prouincijs, pietatis & doctrinarum ſtudia propagant, aut aliam vitæ ſtationem obtinent, Domini HERLVFFI liberalitate & beneficio literis adhibiti, de propēſa ipſius erga Eccleſiam & Scholas volūtate, teſtari poſſunt: Tamē vt remoti, ſolares radij, vehementius penetrant, quam cum ſunt viciniores: Sic ipſius beneficia in ſponſam Chriſti, eiuſq; pediſſequas collata, poſterorum percellent magis, quam noſtros hebetes & obtuſos animos.

Præuidit maturè prudentiſſimus Heros, craſſiſſimam illam,

quæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

quæ ſuperioribus temporibus, veritatis lucem ſuis tenebris inuoluebat, Barbariem, paulatim relapſuram, & hominum Mentes occupaturam eſſe, niſi in doctrinarum ſtudijs prima ætas diligenter informaretur.

Scholas igitur triuiales, in quibus fundamenta religionis & artium pueris prolocantur, maiorum incuria neglectas, adiectis ſtipendijs, & docentium, atq; diſcentium multitudine aucta erexit, & ab interitu vindicauit: Præcipuè vero Helſingørenſem ſcholam, quæ eſt in anguſto littoris Baltici portu collacata, & Roſchildenſe Gymnaſium, quod inter reliqua totius regni eſt celebre, ampliſſimis reditibus ditauit, propoſitiſq; præmijs, ad diligentiam & in ſtudijs aſſiduitatem diſcentes inuitauit.

Eos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Eos autem qui fœlicem progreſſum in primis artium diſciplinis feciſſent, & aliquam de ſe ſpem præbuiſſent: vt inchoata ſtudia vrgerent, vel in hac Regia Academia, vel in alijs Vniuerſitatibus, liberaliter ſuſtentauit, & ſtudiorum curſu confecto, bene ipſis proſpexit, quò laborum ſuorum fructus perciperent non contemnendos.

Itaq; cum egregia virtutis facta literarum monumentis mandantur: Hoc tibj HERLVFFE literæ debent, quas tu ſtudioſiſſime coluiſti & defendiſtj, vt excellentj fama tua conſignata, cum alijs doctrinarum fautoribus & propagatoribus, immortalitate te donent.

Maxima etiam cum diligentia & ſollicitudine, Eccleſiarum & mini-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

miniſtrorum verbi curam, in ſe ſuſcepit, ne quicq̃ in ipſo, quod ad diuini nominis gloriam amplificandam ſpectare videbatur, deſiderari poſſet.

Nam cum per externum miniſterium, Deus voluntatem ſuam cœleſti verbo comprehenſam, patefieri, & reuelatam conſeruari voluerit, cogitabat Dominus HERLVFFVS, a ſe & ſingulis pijs requiri, vt miniſterium honeſtis officijs ornarent.

Miniſtrorum itaq; pedes (vt Pauli verbis vtar) pacem Euangelizantium exoſculatus eſt. Bona Eccleſiæ ex furaciſſimis Harpyarum vnguibus extorſit. Doctorum libertatem & immunitatem defendit, nihilq; prætermiſit, quo Eccle-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

ſiæ dignitatem tueri & protegere poßet.

Quamuis autem obſcœna Harpiarum multitudo: vt olim ſummum prophetam & Regem Dauid, ante arcam Domini ſaltantem, & Cythara laudes canentem, Michol ſcommate notauit, hãc tuam in Eccleſiam Chriſti, & Doctores eius, pietatem, ſuis proſcindunt calumnijs: Tu tamen diuine HERLVFFE, in conſpectu omnium aduerſariorum, in IVSTORVM firmamento, reſplendebis tanq̃ ſtella in perpetuas æternitates.

Hæc maximorum operum fundamenta, in viridi & florente ætate, a Domino HERLVFFO iacta ſunt, ſuper quæ quantam ſtructuram extruxißet, ſi præmatura

mor-

morte abreptus non fuiſset? Sed im-
matura non fuit, cum vitæ ſpacium,
quod ſupereſse videbatur, patriæ
donatum, non naturæ reſeruatum
ſit. Imo neq; hic exceſsus Mors ap-
pellandus eſt. Nam vitæ quædam
eſt commutatio, Temporaneæ in æ-
ternam, Miſeræ in fœliciſsimam,
humanæ in diuinam.

Anteq̃ vero ad extremum vitæ
ipſius actum acceſsero, reuerenter
peto grauiſsimi viri, vt ſi quid a me
dicatur, quod tali præſertim tempo-
re & loco dicendum non eſset, dolo-
ri, a quo ferè ſuperor, non meæ te-
meritati imputetis.

Quemadmodũ enim Æger ani-
mus ſemper errat, ſic & mens gra-
uiori hoc caſu perturbata, ſuo offi-
cio, plenè ſatisfacere non poteſt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Breuior itaq; ero, vt dolori inſeruiam, & ne mihi harum rerum recordatio, & vobis commemoratio, moleſta nimis & iniucunda ſit futura.

In his poſtremis annis Dominus HERLVFFVS, cum patriam hoc diuturno bello grauiter premi videret: omne ſuum ſtudium, labores, conatum, conſilia, eo inflectebat, vt Regio honori & patriæ ſaluti, tempeſtiuè & maturè conſuleretur.

Sui enim muneris rationem, & ordinis amplitudinem, hanc a ſe in propugnanda patria, diligentiam & promptitudinem requirere ſtatuebat: nec vnq̃, ſuam operam, vel Regi petenti, vel patriæ poſcenti turpiter denegabat.

Apud

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Apud Lucianum, Protheſilaus, Helenam primum, deinde Menelaum & Paridem, vltimo Cupidinem, accuſat, quod & euerſionis Troiæ & ſuæ necis primam præbuiſſent occaſionem. Sed cū ſinguli ſe purgarent, tandem culpam vniuerſam, in fata, & Deorum voluntates transferunt: Sic hoc tempore maxima vulgi pars, ſub innocentiæ ſuæ prætextu, quaſi horum tumultuum authores non extiterint, Deum & Magiſtratus accuſant, ſeq; patriæ periclitanti ſubtrahere non verentur.

At Dominus HERLVFFVS bellorum & omnium ærumnarum cauſas altius perpendens, nō ad innocentiam ſuam confugit, qua ſe, ſi quisq; alius tutari potuiſſet:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Sed propria ſcelera, & reliquorum in hoc Regno incolarum flagitia, diuinam iram & vltionem prouocaſſe & irritauiſſe fatebatur. Hãc veram eſſe & præcipuam bellorum cauſam grauiſſimus poeta indicat his verſibus.

Hoc placet o Superi, cum vobis vertere cuncta
Propoſitum: noſtris erroribus addere crimen:
Cladibus irruimus nocituraq; poſcimus arma,

Et Euripides.

Εἴ τις ἂν μεγάλα διώκων, τὰ παρόντα οὐχὶ φέρει, μαινομένων οἱ δὲ τρόποι.

Cum autem præcedentibus annis & terra & mari fortiter patriam propugnaſſet, & celebres victorias fuſis hoſtibus conſecutus eſſet:

Su-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Superiori anno a Sereniſsimo Domino, & clementiſsimo Rege noſtro, Domino FRIDERICO II. in ſupremum Danicæ claſsis præfectum eligitur.

Magna itaq; cum celeritate & diligentia ſuſceptam prouinciam adminiſtrat: Regias naues ad prælia parari, præparatas milite & copijs, commeatu, tormentis, & alijs bellicis machinis inſtrui confeſtim curat, ne diuturnior mora, aut hoſtibus animum adderet, aut æſtiuum tempus nauali pugnæ aptum, eriperet.

Hæc publica munera, cum ſollicitè admodum procuraret: vt rerum priuatarum etiam rationem haberet, vniuerſa ſua bona, ante profectionem diſpoſuit, ne ſi fortè

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

vitam in itinere amitteret, aliqua contentio inter hæredes exoriretur.

Turpe enim putabat eſſe, Eius mortem diſſociationis & diſtractionis inter alios occaſionem præbere, Cuius vita omnis piè & innocenter tranſacta, Chriſtianæ coniunctionis & amoris, exemplar erat.

Vt autem perpetuæ voluntatis ſuæ erga Eccleſiam & patriam, teſtimonium immortale relinqueret: Communi Sereniſſimæ Regiæ Maieſtatis & ſenatus Regni Danici, chariſſimæ vxoris Dominæ BIRGITTÆ, aliorumq; aliquot propinquorum conſenſu, ex hæreditaria HERLVFSHOLMENSI curia, & poſſeſſionibus adiunctis, liberam Scholam inſtituit in

qua

qua & nobilium & ignobilium pueri, liberaliter educarentur, & in pietatis ac diſciplinarum ſtudijs informarentur.

Hoc pium Domini HERLVFFI, & toti Regno ſalutare inſtitutum, Etſi alios, vt Theſeum Herculis Fortitudo, aut Themiſtoclem Milciadis trophæa, ad virtutem & honeſtatem propagandam & fouendam, merito excitare deberet: Scio tamen multos illud execrari, & vt reſcindatur, violeturq; ſerio contendere.

Pauci ſunt qui hoc noſtro ſeculo vel viliſßimas caprarum pelles, ad Dominici templi ſtructuram offerunt.

Plures Eccleſiam ſpoliant, & ex furtiuis bonis, non aliter quam

ALCEVS ex cranijs interfecto-rum hoſpitum ſacrarium Neptuno conſtruxit, parum eccleſijs & ſcho-lis conferunt, de quibus mundani pronunciant iudices.

ὃ πολλα κλέψας, και ὀλιγα δοὺς ἐκφέυξεται.

Maxima multitudo cum vel propter tenuitatem non poteſt, vel propter innatam malitiam non vult Religioni & bonis ſtudijs inſeruire: piorum hominum qui patrocinium in ſe literarum & Eccleſiæ ſuſcipi-unt, rectè facta calumnijs & ob-trectationibus impudenter & im-piè proſequuntur.

Multos fortè virtutum tuarum HERLVFFE, æmulos atq; imitatores patria tua produxit: Sed qui in ſingulis vt tu in omnibus, ex-

cel-

celluerint, paucisſimos. Nullum vero vel recenti vel antiqua memoria, reliquam virtutis Gloriam, tam illuſtri, pio, & vniuerſæ Eccleſiæ ac patriæ vtilisſimo facto conſignaſſe accepimus.

Quare vt ex hac re fama longè celeberrima tibi prouenit: Sic penes te ſolum perpetuo hærebit, gratis piorum omnium infixa pectoribus.

Rebus ſuis ad hunc modum ordinatis, cum reliqua claſſe, nomine Domini inuocato mari ſe commiſit Iunij primo. Cumq; auidius inſequeretur hoſtem, qui ſe antea in vicino littore oſtentabat, circa Pomeraniam velificantem deprehendit, eumq; animoſè aggresſus, in primo conflictu claſſem disſipauit, vt

mag-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

magna victoriæ ſpes conciperetur.
Sed hanc triſtiſſimus caſus importunè nimis occurrens nobis eripuit.
Dominus enim HERLVFFVS in vicinam nauem irruiturus, in ſiniſtro brachio & coxendice vulneratus eſt.

At excelſus animus, qui in Chriſtiano duce nunq̃ deijcitur, hoc caſu ſe non remiſit, quin denuo, ad dimicandum paratiſſimus erat.

Nunc (inquit HERLVFFVS) ſocij, pugna quam ſemper depopoſcimus, continuanda eſt. Nõ facile occaſionem poſtea reperiemus. Omnia fœliciter Deo gubernante nobis euenient.

Dum prælium renouatur, ſubito tanta maris trãquillitas exoritur, vt hoſtem accedere non poſſent.

In-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Interea dum de pugna cogitat Dominus HERLVFFVS, vulneribus non obligatis, ſanguis copioſius effluit, vt in magnam debilitatem incideret, quam & ſingularis animi ipſius erga milites ſuos beneuolentia adauxit.

Cum enim animaduerteret multos ex ſuis ſocijs grauiter ſauciatos eſſe, noluit permittere chirurgum ſua vulnera contingere, priuſq̃ eos omnes obligaſſet.

Si ex nullis alijs, quæ infinita ſunt, quàm ex hoc facto, Gloria tibi proueniret HERLVFFE, nominis tui famam immortalem per ſe reddere poſſet.

Tandem, cum Regiam claſſem in portum ſaluam reduxiſſet, comitante fratre ſuo Domino BIRGE-

RO

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

RO per inſulam Amagenſem huc profectus eſt.

Ne vero tam illuſtris & ab omnibus amati viri acerbo caſu, multitudo conſternaretur, vultu hilariori, & enſe ſuper dextrum humerum reclinato, ad proprias ædes ſuas, militari greſſu acceſſit.

Atq; vt paratus eſſet in vtramq; partem ſeu viuere ſeu mori, Medicos & animi & corporis ad ſe accerſiri curauit.

Vſus eſt autem opera Reuerendi viri Domini Doctoris Nicolai Hemmingij, qui ab initio morbi, vſq; ad vitæ exitum perpetuo illi adfuit, multaq; cum ipſo de ſalutis negocio ita contulit, vt Reuerendus Dominus Doctor fateatur ſe ab ipſo conſolatum eſſe, quem conſolandi cauſa acceſſiſſet. 18.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

18. Iunij cum ante concionem, ſtans erectus, vna cum familia ſua, Te Deum laudamus, & Pſalmum in te Domine ſperaui, Danicis rithmis a ſe compoſitum caneret, recruduit vulnus, & per ruptas venas vniuerſus ſanguis profluxit.

Debilitatus itaq; mirum in modum, cum finita concione in Lipotimian in cidiſſet, adhibitis remedijs, tandem ad ſe redijt, & collocatus ſuper ſtratum, Dominam BIRGITTAM, quam vidit ſua cauſa ſollicitam eſſe & triſtiorem, alloquitur. Dilecta coniunx BIRGITTA, tu ab initio noſtri coniugij, in hunc vſq; diem, mecum es conuerſata, vt decet honeſtam & piam matronam: Deus retribuet tibi dignam mercedem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Mœſta vxor ex hac oratione non modo recreata, ſed multo perturbatior reddita. Quid, inquit, HERLVFE num de vita deſperas? Cui ille. MEA BIRGITTA ne te macera, omnia ſunt placidum conſecutura finem cum DEO viſum fuerit.

Sequenti die, qui erat 19. Ipſe vnà cum Domina BIRGITTA Sacramento cœnæ Dominicæ vſus eſt: Atq; ab eo tempore, diuina ne an naturali præſentione, ignoro, tempus ſui exceſſus prædixit. Die inquit Lunæ liberabor & ab algore hoc & æſtu.

De SOCRATE refert PLATO, ipſum in cuſtodia publica detentum, vidiſſe in ſomnijs pulchritudine eximia fœminam, quæ ſe nomi-

mine appellans, diceret Homericum quendam eiuſmodi verſum, ex quo intellexerit, ſibi poſt tertium diem eſſe moriendum. ὦ Σώκρατες.

ἤματί κεν τριτάτῳ φθίην ἐρίβωλον ἵκοιο.

Non dubium eſt, Deum præmonere pios, vt in acerrimo cum carne, conſcientia, Diabolis conflictu, ſpe futuræ liberationis animentur.

Interea hos ſummos dolores & cruciatus patienter pertulit, vt nemo noſtrum audierit, ipſum gemitu doloris magnitudinem indicaſſe: ſed frequenter locos ſcripturæ conſolatorios repetijt, & dulciſſimum filij Dei nomen, in quo vniuerſam ſuam ſpem reclinatam eſſe dicebat, crebrius iterabat.

Dies Lunæ prædictus cum aduenißet, curauit ſe in cellam collocari, in qua cum ad ſeptimam veſpertinam conſedißet, permiſit chirurgum vulnera ſua obligare, & cum Domino Doctore NICOLAO, vſq; ad nonam ferè horam collocutus eſt, ſæpè ſalutiferum nomen IESV, ſuis ſermonibus intermiſcens.

Poſt nonam cum Morte certamen inijt, quam cum vigilans non formidaret, nec dormiens pertimuiße videbatur. Nam ſuperata morte quadrante horæ poſt vndecimam, veluti ſomno ſolutus, commigrauit in æternam vitam.

Cum autem præſtantium virorum exceßus iram Dei portendat, hortor vt ſerio ad ipſum confugiamus,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

mus, petentes pænarum mitigationem, & vt Eccleſiam ſuam hîc apud nos ſeruet, ardentibus votis oremus.

Dixi

Viuite fœlices, quibus eſt fortuna
peracta,
Iam ſua: nos alia ex alijs in fata
vocamur.

EPITAPHIVM.

HOc iacet HERLVFFI TROLLE ſub marmore corpus
Herois, magna nobilitate Viri.
Hic auratus Eques factus, fortiſſimus hoſti
Occurrit, patriæ, gloria, fama, decus.
Hic fuit humanus, caſtus, pius, omnibus æquus
Cuius nunc caſtus Spiritus aſtra colit.

Doctor NICOLAVS
HEMMINGIVS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Aliud Dominj
Herluffi Trolle
EPITAPHIVM
ab

Eraſmo Katholmio

ſcriptum.

Conſcia mens recti coram Domi-
no, quoq; fama
Illuſtris, toto quærantur tempore
vitæ.
Hæc ſequitur mores: illam pietas
operatur:
Propoſiti ſtudium ſancti conſeruat
vtramq;.
Hiſce fuit Dominus HERLVF-
FVS præditus, hiſce
Emicuit TROLLVS: Trollo-
rum maximus heros.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Ipſe Dei verbum ſummo dilexit
amore,
Credidit in Dominum, vitam quoq;
duxit honeſtam
Aſpera rite tulit, iuſtus fuit ac li-
beralis,
Fortis, & humanus, patriæq; fidelis
amicus.
Huius enim cauſa mortem non hor-
ruit ipſam
Viuere dum licuit, licuit dum fata
volebant.
Nunc igitur vitam traducit fine
carentem
In patria vera: cupidi quò tendimus
omnes.
Ipſe ſuum curſum rectè confecit in
orbe:
Nos itidem noſtrum peragamus,
faxit IESVS.

Ad

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

AD CHRISTIANVM Machabæum Alpinatem.

EXtollunt alij fallacia ſæpe Gigantum
Robora, Cyclopum carmine facta canunt.
Linguaq; doctiloqui Ciceronis perſonat acta
Stantis adhuc Romæ qualiacunq; Ducum.
Sic ſatus Anchiſa, quæ paſſus Muſa Maronis
Per mare, per flammas, ſeua pericla refert.
Qui fuit inſolitas, NASO, phaetonta canebat
Auſus adire vias, alta per aſtra poli.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Quid rogo Cycoples ? triſti quid Marte gigantes
Quid fuit Æneas ? dic mihi quid phaëton ?
At Machabææ tuus, meriti ſeptemplicis HERLVFF
Excellit cūctos hic pietate Duces.
Cuius fama vias phœbi complebit, & orbem
Peccurret nullo corruitura die.
Nec tua te fallit veniens Oratio dulcis
In lucē, doctis grata futura viris.
Nunc habet HERLVFFI *collapſum foſſa cadauer*
Aſt animam ſumma ſeruat in arce Deus.

Eraſmus Auguſtinj paſtor Herluffsholmenſis.

ELE.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

ELEGIA.

CVm grauibus dignum delictis addere crimen,
Et placet errores meritis perſoluere pœnis
Summe Deus: IVSTI fatalia ſtamina rumpis,
Vindictam fortis dextræ ne cernat & iras.
Neue tuos metuat vultus formidine culpæ.

IOSIAM ſacri Regem populiq; potentis,
Cum diram ſceptro minitarent fata ruinam,
Ne duros caſus, ne vincula ſæua, labores
Electæ gentis, patriæ diſcrimina tanta

Aſpiceret, ſancti myſteria prodita templi:
Ablato mortale polo ſuccedere mandas.

Te MACHABÆE Ducem, magnis erepte periclis,
Cum ruere imperium IVDÆ, gentiſq; poteſtas,
Et vires confracta ſuas & ſolueret artus:
Sydereas (belli tot tempeſtatibus actum)
Iuſſerat omnipotens cœli conſcendere turres.

Dania quid ſecura Deum? quid ferrea rides
Fata? tuum non cæca potes reſpicere finem?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Quos pietas, & ſancta fides, quos ſtemmata patrum,
Candida ceu niueæ florentes tempora vittæ
Ornabant, patriæq; decus lumenq; fuerunt,
Hei mihi neglectis petierunt ſydera terris

Occidit HERLVFFus quo non præſtantior alter,
Aſpexit clari radiantia lumina Phœbi.
Concidis immiti ſuperatus morte GEORGI
BRADORVM genus. Et Roſei de nomine ſerti
CHRISTOPHORVS fatis ceſsit: Quis funera fando.

Tem-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Temperet a lachrymis? Et tu caſtiſ-
ſima cætus
BILDORVM ELIZABE-
THA decus, mortalia linquens
Membra tuis, cineresq; pios & triſte
ſepulchrum:
Aurea ſtellati penetras ad culmina
cœli.
At remanet clarum nomen, vir-
tusq; pudorq;,
NVLLA POTEST VRNIS
EXCELLENS FAMA
RECONDI.

Horum ergo pœnas properata mor-
te repoſcit
Iupiter a nobis? & magnas nunciat
iras?

Ferte gradum celeres, clementi oc-
currite Chriſto, Fun-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Fundite corde preces, manibuſq; orate ſupinis,
Æternamq; pijs votis exquirite pacem.
Ille poteſt, & vult, miſeros ex ſorte iuuare
Aſpera, & in cœli poſt funera parte locare.

Chriſtianus Machabæus Alpinas.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

HAFNIÆ
Excudebat Laurentius
Benedictus.

Anno M. D. LXVI.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

B.R.H.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

fato 13926

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

fol 184305

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1108 8° copy 1